

cum deliberacione in ipso iam dicto monasterio habitare cum suis rebus, et nullam audeat de rebus suis neque Felicitas uxor mea nec Romana nurus, quas eis per hunc testamentum meum largitus sum, donare vel transportare ad nullus de suis pertinentibus vel extraneis, set solummodo tantum ad predicto monasterio aut pauperibus pro mea ac filii mei et suarum animarum medelam. Abbates vero vel abbatissa in predictas monasterias, quale sibi cohors vel maior pars monasterii secundum Deum elegerit, ipse scit, sicut eorum lex testatur. Breviarium enim hoc facimus de vineis vel territoriis vel reliquis speciebus, quod in ipso sanctum offerimus monasterio, ut per hoc requiratur, cuius cura fuerit, ne a quoquam hominum masculum vel feminam destituta fiant. In primis terras et vineas et campos, que sita sunt in loco, qui dicitur Prato, quod per documenti cartulas habere decrevimus, idest de Grausone tribuno filius quidem Donato tribuno cata Barbalata de Equilo, per duas documenti cartas de Johanne et Laurencio germanis et tribunis filius quidem Marconi Primollo de Equilo; detinemus per documenti cartas de Maria et Steffana Christi famulas et germanas filia quidem Gatulo de suprascripto vico. Idem detinemus per documenti cartulas de Andrea de filio quidem Iohannaceni Cigullo de Equilo et de Dominico nepote eius. Et detinemus per documenti cartula de Dulciolo tribuno Pascalice de suprascripto vico; per documenti cartas de Vitale tribuno Pascalice; per documenti cartas de Romana, Dei ancilla cata Betegani de Equilo et de Iohania, Dei ancilla, filia eius, et de Maria, filia quidem Orseano Sartarico. Detenemus per documenti cartas de presbitero Borso de Equilo; tenemus per documenti cartas . . . de teritoria, qui sunt infra fines Civitatis nove, quas donationis cartas habere et tenere visi sumus de Agathe, Christi famula, filia quidem domno Mauricio, magistro militi, qui fuit dux Venec[iarum], quod ei in divisione obvenit da Suria germana eius, sive terra vineas, pratas, campos, pascuas, silvas, arboribus fructiferis et infructiferis seu casas, stabulis, que nos edificare iussimus, sive peculia maiores, minores, cum cavalis, boves, porcis, quas ibidem